

35.

PRAESTANTIAM
PRINCIPIORVM ADHAESIONIS
IN EXPLICATIONE
SECRETIONIS

EXERCITII CAVSSA

D. XXV. IUN. CIO IDCC LIV.

IN AUDITORIO MAIORI

H. I-III. POMER.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR RESPONSVRVS

CHRIST. FRID. IAMPERT,

MED. DOCTORAND.



HALAE, LITTERIS CVRTIANIS.

I. N. I.

§. I.

Secretio est actio corporis humani viui naturalis, qua fluidum magis homogeneum, ex alio heterogeneo separatur.

§. II.

Vis hanc actionem producens, necessario horum trium ex numero erit, videlicet Vis insitae, Ponderis, vel Impetus externi.

§. III.

Grauitas parum huc conferre potest, quia actio fit in minimis vasculis, et ope minimarum particularum, neque semper in directione ad centrum tendente.

§. IV.

Reliquas duas species nemo excludere valet; vbi enim particula est, ibi etiam data occasione pro vi insita ager, et cordis in fluida impetum eorum motus progressiui causam esse, nemo iam negare cupiet.

§. V.

Adhaesio est actio ex vi insita, quae si in minimis fit particulis, quam maxime sensibiles edit effectus. (a).

§. VI.

Est vero actio duorum in se inuicem corporum sub contactu sine motu (b). Contactum autem particularum M. S. tam inter se quam cum parietibus vasorum nemo negabit. Secretio itaque ex parte mutationibus ex adhaesione erit obnoxia.

§. VII.

Constans experientia modi adhaesionis dicitur *lex adhaesionis* dicitur. Ergo et secretio secundum leges adhaesionis fieri debet.

§. VIII.

Fluida itaque secreta visceribus fecerentibus specificè leuiora esse debent. (c). Id quod etiam experientia probat (d).

§. IX.

Diueritates fluidorum pendunt a diueritate partium constituentium, partes vero diuersae, diuerso modo cohaerent, inde maior vel minor fluiditas visciditas subtilitas etc. oriuntur, ac pro regulis adhaesionis determinari queunt.

§. X.

(a) Vide Illustr. HAMBERGERI Praeceptoris ac Fautoris aeternum de uenerandi Diff. de Adscens. Vapor. Causs. §. 83.

(b) Vid. Physic. Illustr. HAMBERGERI §. 109. Schol.

(c) Eiusd. Phys. §. 157.

(d) Idem Vir Illustr. in Physiologia a §. 346. ad 356.

§. X.

Limes instituti cum non permittat ulterius coepto modo progredi, sufficiat indicasse adhaesionis cognitionem ad theoriam de mutationibus humorum nostrorum et secretionem esse scitu necessariam. Iam quaedam specialiora de secretionem, quatenus per leges adhaesiones explicabilior redditur, afferre adhuc liceat.

§. XI.

Ad adhaesionem actio sine motu requiritur, sanguis vero celeriter ex sola vi cordis per vasa transiret, nisi ipsa haec adhaesio impulsui resisteret, indeque motum in minimis vasculis minueret, cui accedit, quod quo minora sunt vasa, in eo maius relatiue sanguis abeat spatium, hinc etiam lentius ibi moveri debet, et sufficiens obtinetur mora ad adhaesionem.

§. XII.

Particula ad orificium canalis lateralis adhaerens, conatum exserit in parietem vasis penetrandi (e). Gaudet vero eadem iam conatu secundum directionem vasis progrediendi; hinc diagonalem sequetur, quae si eandem habet directionem cum vase laterali secernente, in illud sponte intrabit, qui modus est genuinus fieri secretionis.

§. XIII.

Hinc enim explicari potest, cur quodlibet fluidum secretum in suo tantum viscere et non alibi fecernatur. Viscera enim diuersae sunt consistentiae, hinc cohaesionis (per citata ad §. 8.) ergo diuerso gradu variabit actio ex adhaesione, ergo et angulus qui diagonalem determinat. Porro partes ipsae M. S. variant grauitate specifica et vi insita ergo et id eo variabit diagonalis. Si itaque particula quaedam adhaeret, et pro sua diagonali lateraliter tendit, at talis non est, vt eo determinato adhaereat gradu, qui dat requisitam directionem, in vas laterale non penetrabit, id est, non fecernetur, quia non in orificium canalis secretorii sed in parietem canalis aduentis impingit. Ergo non nisi determinatae vis insitae, aequalis partes penetrabunt, et fecernentur et fluidum educum erit homogeneum.

§. XIV.

Ex plurimis quidem visceribus fecernentibus prodeunt vasa lymphatica, vt ex hepate, testiculis etc. hinc sequitur leuiore vt etiam intrent et fecernentur partes. Ast hoc vel praecaueri non potuit, quia fluidum pressum quaqua versus premit, vel quia tales cum homogeneis fecernendis cohaerent, vel quia pro vehiculo requirebantur, fit inde vt facta secretionem denuo absorbeantur, et secretus liquor spissior reddatur, vti fit e. g. in bile cystica, semine etc.

§. XV.

(e) Eiusd. Physic. §. 32.

§. XV.

Ad secretiones rite constituendas omnino motus intestinus sua confert, siue actio partium M. S. in se inuicem. Varius iste est vbiuis et pro eius diuersitate semper alias producit fluidorum qualitates. Variationes autem eius multis ex causis ortum ducant, quorum pertinent diuersus Cordis impetus, diuersa ramorum directio quoad angulos, et resistentia actioni ipsi data.

§. XVI.

Priores duas mittamus causas utpote occasionales et in tertiam tantum inquiramus. Dependet vero haec resistentia vel ab impenetrabilitate sanguinis, vel a Cohæsione partium M. S. inter se, quae impedit quo minus liberrima vbiuis non fiat penetratio, ac plenaria destructio. Cohæsio itaque erit ad causas motum intestinum determinantes referenda; continebit ergo rationem qualitatis fluidorum determinatae, vna cum caeteris; ergo rationem praeparationis fluidorum ad secretionem.

§. XVII.

Eadem etiam adhaesio dat causam efficientem motus intestini. Fit enim penetrando, quod contactum requirit, quo posito adhaesio fit. Provi vero causa est diuersa, alius etiam erit effectus. Prouti ergo gradus in adhaerendo variabit, diuersa erit penetratio et resolutio ac noua mixtio. Quo subtiliores enim sunt partes actiuae, et quo minus cohaerent partes resistentes, eo facilius fiet penetratio ac resolutio (f).

§. XVIII.

In quolibet itaque viscere diuersus concedendus erit motus intestinus, tum ob directionem vasorum sub aliis angulis, tum ob diuersarum partium, ex adhaesione varia ingressarum, cohaesione, adiuuitate, resistentia etc. Ergo in quolibet viscere necessario alius separabitur liquor, pro hisce causis determinantibus simul sumtis determinatus. Motum enim intestinum qua licunque modo variantem, semper aliud producere fluidum qualitatibus specificis diuersum, Chemia et praesertim Zymotechnia certo probant. Quis vero explicabit haec phaenomena absque cognitione vis efficientis, h. e. adhaesionis. Multominus is secretionis phaenomena intelliget, qui legum adhaesionis est ignarus.

§. XIX.

Instituti ratio nos hic subsistere cogit. Sufficit, me quaedam saltem indicasse loca vnde necessariam esse cognitionem legum adhaesionis ad explanationem legitimam secretionum Corporis humani abunde elucescit.

(f) Eiusd. Physic. §. 145.

S. D. G.

01 A 6507

f

ULB Halle 3
002 937 859




TA-706

nur 10. Stück bishov verknüpft

1017





35.

PRAESTANTIAM
PRINCIPIORVM ADHAESIONIS
IN EXPLICATIONE
SECRETIONIS

EXERCITII CAUSSA

D. XXV. IUN. MDCCC LIV.

IN AUDITORIO MAIORI

H. I-III. POMER.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR RESPONSVRVS

CHRIST. FRID. IAMPERT,

MED. DOCTORAND.



HALAE, LITTERIS CVRTIANIS.

